



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 115. Pollicitatio Neapolitani Regni Piscario facta, atque ejus anxietas  
hac super re sublata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1525.

§. CXV.

*Pollicitatio Neapolitani Regni Piscario  
facta, atque ejus anxietas hac su-  
per re sublata.*

*Ant. de Vera  
l. c. p. 123.*

Ne Piscarius Moroni consiliis totum sese addiceret, unica obstabat anxietas; quippe dubius hærebat, an fidem Cæsari, cujus etiam subditus esset, promissam jure violare posset. Verum Moronus confestim reposuit, illum equidem Imperatori subjectum esse, arctiori tamen vinculo Pontificis obsequio adstringi, cum hic supremus esset Neapolis Princeps, & Cæsar nonnisi Dominium utile haberet, in hujus autem præjudicium directo Domino obsequi, omnino liceret, atque aliunde beneficiariam hujus Regni possessionem a Papa Carolo V. jure concedi haud potuisse, eoquod ipse jamjam Cæsaris dignitate insignitus esset; idipsum vero omnino adversaretur retroactis cum Sede Apostolica pactis circa Neapolis Regnum initis, vi quorum utraque ditio simul ab eodem possideri haud posset. Nihilominus, cum Piscarius in hac occasione vir timoratus, ac honestus haberi ambiret, ad tollendam animi anxietatem Theologiæ, ac jurisprudentiæ peritissimos suppressis tamen petentium nomi-

minibus consulere voluit. Hi omnes ad mentem summi Pontificis decidebant, quod Diploma Cæsari concessum non valeret, utpote præcipuo inaugurationis articulo contrarium, quo inhibitur, ne beneficiaria hæc ditio ab ullo Cæsare possideri possit, ut proin subditus Neapoli ortus ex conscientiae legibus potius summo Pontifici tanquam supremo Domino, quam Imperatori morem gerere adstringeretur, eoquod hic duntaxat feudi Dominus esset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1525.

## §. CXVI.

*Fœdus Papæ, Piscarii, Mediolanensis Ducis, & Venetorum adversus Cæsarem.*

Igitur fœdus cum Piscario concluditur, illudque Moronus Mediolanensis Ducis nomine, Mentebona autem pro Clemente VII. & Santus pro Venetis subscribunt. Præcipui illius articuli erant. I. Ad Cæsareos ex Italia propulsandos inter fœderatos mutua erit armorum societas, cui etiam Galliarum Rex accedere sollicitabitur. II. Piscarius illius caput erit, ac probatæ fidei Cæsareas, quotquot poterit, copias ab exercitu segregabit, ut disjunctæ eo facilius opprimi possent, si fors ad expugnandum Neapolis Regnum sua Piscario servitia præ-

Guicc. l. 16.  
Brantome  
vie du Mar-  
quis de Pis-  
cario.